



## TRES PORCELLI

*rendered into Latin by the famed Dr. Martin*

olim pater porcus tres filios habet. eis dicit, “ite, et fortunam invenite!” primus porcellus viro occurrit qui multum stramentum portat. “quaeso,” dicit porcellus, “da mihi stramentum; domum aedificare cupio.” vir porcello stramentum dat, et porcellus suam domum e stramento aedificat.

paulo post adambulatur magnus malus lupus, qui portam pulsatur. “porcelle, porcelle” inquit, me inire sine!”

porcellus, qui lupum timet, respondet, “non per comam men-men-menti!”

clamavit lupus, “ergo huffabo et puffabo et tuam domum inflabo!” et huffat et puffat et flat summa vi; tandem domum vastat. tum magnus malus lupus infelicem porcellum devorat.

secundus porcellus viro occurrit qui fascem ramorum portat. “quaeso,” dicit secundus porcellus, “da mihi ramos; domum aedificare cupio.” vir porcello ramos dat, et porcellus suam domum e ramis aedificat.

mox idem magnus malus lupus appropinquat. porcum primum iam in ventre habet, sed tamen esurit. videt domum e ramis factam et ait, “porcelle, porcelle, me inire sine.”

porcellus timet, et respondet, “non per comam men-men-menti!”

iterum clamat lupus, “ergo huffabo et puffabo et tuam domum inflabo!” et huffat et puffat et flat potentius, et domum ligneam vastat. et magnus malus lupus porcellum secundum capit et devorat.

tertius porcellus astutus est. “invenit virum qui lateres portat et ab eo petit, “quaeso, vir, da mihi lateres; domum aedificare cupio.” vir porcello lateres dat, et porcellus suam domum e lateribus aedificat.

sed magnus malus lupus adhuc esurit! domum porcelli videt et portam pulsatur. ait, “porcelle, porcelle, me inire sine.”

respondet porcellus, “non per comam men-men-menti!”

et lupus clamat, “ergo huffabo et puffabo et tuam domum inflabo!” et huffat et puffat et flat potentissime, sed fortis domus latericia constat. lupus sibi dicit, “hanc domum inflare non possum.” lupus maxime esurit et callidissimus est, ait, “porcelle, scio ubi pauca bona rapa sint.”

“ubi?” rogatur porcellus, cui rapa placent.



“in agro Marci. secunda hora cras ire et rapa colligere possumus.”

“optime,” respondet porcellus, et magnus malus lupus abit. sed mane, porcellus advenit prima hora, rapa collegit, et domum revenit ante secundam horam.

lupus advenit et rogat, “porcelle, nonne paratus es?”

porcellus respondet, “iam rapa habeo.”

lupus iratissimus est. “iste porcellus me fallere non debet!” dicit, et in tectum porcelli ascendit. domum per caninum inire constituit. at porcellus lupum audit et magnum ignem facit et magnam ollam plenam aquae in igne ponit.

ubi magnus malus lupus per caminum salit, in ollam cadit! porcellus statim ollam operit et lupum coquit. multos dies porcellus ius lupi edit, et feliciter posthac vivit.

et illa est fabula trium porcellorum et magni mali lupi.